



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, M.DCCXI

Sectio Secvnda. An veritas, & rectitudo conscientiæ sint idem?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84777](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84777)

omne probabile probabilitate conscientiae est verum: ergo sibi contradicit. Altera contradictio est, quia lib. 1. qu. 1. §. 4. pag. 3. ait universalissime, *indubitatum plurimum falsas doctrinas probabiles esse, quin aliquando falsa esse probabiliora*: sed hæc doctrina contradicit huic, nullum falsum potest esse probabile probabilitate conscientiae: ergo iterum sibi contradicit. Tertia est; nam lib. 2. qu. 18. ad finem ait: *Indocti, inventa auctoritate, sistere in illa possunt, nec debent ulterius procedere*: sed omne, cui indoctus sistere potest, est probabile probabilitate conscientiae: ergo, cum ea auctoritas dicentis possit esse falsa, potest esse probabilis probabilitate conscientiae; vel si non potest esse probabilis probabilitate conscientiae, indoctus in ea sistere non potest.

N. Probatur 3. Implicat duas contradictorias esse simul veras, non implicat, immò saepe accidit ambas esse simul probabiles, ut etiam supponit Candidus l. c. & nos infra ex profuso contra P. Eliz. qui licet cohaerenter negat, malè tamen negat: negat cohaerenter, quia dato, quod probabilitas, & veritas ideam sint, sicut implicat utramque contradictoriam esse simul veram, ita etiam esse simul probabilem: male tamen negat, non tantum, quia à priori evidenter probavi probabilitatem, & veritatem mutuò formaliter, & realiter distingui, & diversificari; sed etiam, quia, licet hoc non esset à priori evidens, est evidens à posteriori, quatenus evidens est utramque contradictoriam esse simul probabilem: ergo evidens est probabilitatem esse diversam à veritate.

N. Ex his infer, quod ut opinio aliqua sit probabilis, satis est, ut sit iudicium incertum verosimile nixum motivo obscurè apparenti, solido tamen, & gravi absolute in se, & relative ad motiva partis oppositæ, si adsint; non autem necesse est, ut sit verum, & multò minus satis est, ut sit verum: non satis est, quia iudicium temerarium verum non est opinio probabilis, ut dixi in 2. ratione, & in 1. confirmatione; non necesse est, quia iudicium prudens falsum potest esse opinio probabilis: ergo veritas est omnino impertinens ad probabilitatem opinionis.

S E C T I O II.

An veritas, & rectitudo conscientiae sint idem?

N. Veritatem, & probabilitatem, nec mutuò, nec non mutuò converti vidimus; videndum modò, an veritas cum rectitudine conscientiae mutuò, aut non mutuò con-

vertatur; seu quod idem est, an veritas speculativa mutuò, aut non mutuò cum veritate practica convertatur. Quæstio hæc plurà à què difficilia, ac scitu utilissima continet, atque adeo dilucidè, ut res exigit, tractanda.

§. I.

Notanda attentione digna.

S U M M A R I U M.

Si iudicium dicet in genere hoc esse bonum, aut malum, dicitur Synderesis si in particulari, dicitur conscientia, n. 14.

Conscientia quid? DD. n. 15.

Est actus æquivalenter practicus, & prudentialis, ibid.

Munera conscientiae ex S. Thom. ibid.

DD. dividentes conscientiam in speculative, & practice veram; in speculative, & practice falsam, n. 16.

Quid speculative vera, & falsa? Quid practice vera, & falsa? n. 17.

Quid rectitudo in genere? n. 18.

Moralis rectitudo solis actibus intellectus, & voluntatis convenit; quæ actibus intellectus, dicitur activa, quæ voluntatis, passiva, ibid.

Quid rectitudo logica? Quid ethica, seu practica? n. 19.

Toto calo differunt inter se rectitudo, seu veritas speculativa, & rectitudo, seu veritas practica, n. 20.

Lex æterna Dei, seu Dei sapientia nos dirigens, & Dei voluntas nos per precepta gubernans, est primaria objectiva moralitatis regula; principia autem Synderesis, & leges humane, & ipsa ratio humana sunt regulae secundariae applicantes illam primariam, n. 21.

Ultimum conscientiae dictamen est formalis, & proxima morum regula. DD. n. 22.

Rectitudo moralis actuum voluntatis sumitur à conformitate volitionis cum proximâ formali morum regulâ: rectitudo autem moralis dictaminis conscientiae sumitur à conformitate dictaminis cum primâ morum regulâ objectivâ, n. 23. 24.

Lutherus, Calvinus, Baius, Jansenius, solum iudicium logicè verum dicunt morum regulam, n. 25. 26.

Qualiter hinc duo Jansenij errores inferantur, n. 27.

Esi Celladei doceat invincibilem ignorantiam excusare, negat tamen eam dari, quia omnis, inquit, sequitur ut poena ad personale, & ideo vult solam veritatem esse morum regulam: ejus verba, n. 28.

Ignorantia positiva, & negativa quid? n. 30.

Ignorantia invincibilis non est explicanda per poten-

potentiam physicam eam vincendi, sed per obligationem eam vincendi, n. 31.

Theologia Moralis plus considerat, quid homo facere debeat, quam quid possit, ibid.

Quid ignorantia moraliter vincibilis, & invincibilis? ibid.

Lex per S. Thom. non obligat, nisi cognita, n. 32.

Ignorantia vincibilis est peccatum ignorantia contra studiositatem, qua obligat inquirere verum, ibid.

Invincibilis solet dici antecedens voluntatem, vincibilis, consequens. D.D. ibid.

Dubia discernenda, n. 33.

N.
14.

Primus est, conscientiam strictissime sumptam non esse, nisi iudicium rationis dictans hoc esse bonum, aut malum morale, id est licitum, vel illicitum, conveniens, vel disconveniens cum prima regula morum, tam objectivam remotam, quae est Deus, quam formalem proximam, quae est ipsum dictamen: quia vero intellectus potest dictare, vel universaliter, & in genere, juxta illud Tobiae, & Matthaei, Quod tibi non vis, alteri ne feceris, aut, colendi sunt parentes, non est laedendus proximus: vel in particulari, hic homo est honorandus, haec actio est omitenda: si dicat in generali, dicitur potius Synderesis; si in particulari, dicitur conscientia; ex gr. in hoc syllogismo: Omnis pater est honorandus, Petrus est pater, ergo est honorandus. Maior, quia est unum ex primis principijs intellectus practici, cuique naturaliter insiti, dicitur Synderesis: Minor est actus fidei, aut opinionis, & potest etiam aliquando esse scientia: Conclusio autem applicans ea principia universalia, quae sunt Synderesis, ad talem actionem particularem, est actus conscientiae; & dicitur con-

M. Mer.

P. Oviedo

P. Salas

Herin.

M. Tap.

15.

S. Th.

P. Suar.

P. Salas

P. G.

Hurt.

P. Oviedo

Herin.

M. Gon.

M. Tap.

diff.

de Probabilitate

art. 1.

M. Tapia

l. c.

Palanco qu. 1. de Consc. Nolo autem immorari in examinando, an conscientia sit actus speculativus, an practicus, cum certum sit esse saltem æquivalenter practicum; non enim præcisè dictat, hoc licet, sed simul ex suo modo tendendi, vel obligat, vel instigat, vel dictat esse faciendum, aut posse licite fieri: ergo est æquivalenter practicus; nam actus præcipui conscientiae ex S. Thom. 1. 2. qu. 19. art. 5. sunt obligare ad faciendum, instigare ut fiat, dictare esse faciendum. Similiter certum est conscientiam esse actum prudentialem, dirigit enim ad humanam operationem, quod est munus prudentie, ut ait S. Thom. qu. 17. de Veritate art. 1. & 1. S. Th. 2. qu. 76. art. 1. & alibi: ergo conscientia est actus prudentialis. Lege D.D. citatos.

Secundum est, inter plures conscientiae N. divisiones passim obvias, dividi conscientiam in veram, seu conformem suo objecto, & in falsam, seu disformem. Vtraque autem conscientia, tam vera, quam falsa, subdividitur in speculativam, & in practice veram; in speculativam, & in practice falsam: quam doctrinam tradit S. Thom. 1. 2. qu. 19. art. 3. S. Th. ad 2. & qu. 57. art. 5. ad 3. & lib. 1. contra M. Tap. Gentes cap. 62. & 67. M. Tapia l. c. P. Oviedo l. c. a. n. 21. P. Arriaga 1. 2. d. 22. sect. 1. P. Teril. qu. 16. n. 37. Baron. in Ethica Christiana d. 1. n. 16. P. Moya tom. 2. qu. 9. §. 8. a. P. Moy. n. 40. P. Valq. 1. 2. d. 58. cap. 2. quem laudat, & sequitur P. Elizal. lib. 3. qu. 1. & alij passim. Difficultas est illas exponere; illis enim rite intellectis, facile res comprehenditur, & tenebrae illae dissipabuntur, inter quas P. Elizal. detinetur. Conscientia speculative vera est conscientia conformis suo objecto, N. quod repræsentat, ita ut taliter objectum in re se habeat, qualiter est repræsentativè in actu; & e contra, taliter actus repræsentet objectum, qualiter est objectum in se à parte rei: Conscientia speculative falsa est conscientia disformis suo objecto, ita ut aliter in re se habeat objectum, ac se habet in cognitione repræsentante; & e contra, aliter cognitio in repræsentando, ac se habet objectum in re, seu in se à parte rei. Conscientia practice vera est conscientia conformis cum prima regula morum, ita ut ita se habeat directivè, & imperativè, sicut se habet directivè, & imperativè prima regula morum, cui est conformis: Conscientia practice falsa est conscientia disformis primæ regulæ morum, ita ut aliter dirigat, ac imperet, ac dirigit, & imperat prima regula morum, cui est disformis. Vt autem hæc rectè penetrentur, lustranda sunt sequentia.

Tertium est, rectitudinem in genere esse conform-

conformitatem rei rectæ cum suâ primâ regulâ: si rectitudo sit physica, est conformitas physica cum suâ primâ regulâ physicâ; si moralis, est conformitas moralis cum suâ primâ regulâ morum. Certum autem est, quod rectitudo moralis non convenit nisi actibus intellectus, & voluntatis, cum hac differentiâ, quod quæ convenit actibus intellectus, dicitur rectitudo moralis activa, quia dirigit voluntatem; quæ actibus voluntatis, dicitur moralis passiva, vel affectiva, quia dirigitur ab intellectu. Cum autem immediate prænotaverim duplicem actibus intellectus veritatem convenire posse, aliam speculativam sitam in conformitate actus cum suo objecto repræsentato, aliam practicam sitam in conformitate actus intellectus, & volitionis, quam dirigit, & dicat, cum primâ regulâ morum; ita in ipsâ actibus intellectus duplex est rectitudo, alia purè philosophica, logica, vel speculativa, consistens in conformitate actus cum suo objecto enuntiato; alia moralis, ethica, Theologica, practica, consistens in conformitate actus intellectus cum primâ regulâ morum. Ex hoc evidenter constat 1. idem mutuo esse conscientiam speculativè rectam, ac speculativè veram, & e contra; idemque mutuo esse conscientiam practicè rectam, ac practicè veram, & e contra; quia, ut dixi, rectitudo speculativa est conformitas actus intellectus cum suo objecto enuntiato: sed hoc ipsum est veritas speculativa: ergo rectitudo speculativa, & veritas speculativa sunt mutuo idem. Similiter rectitudo practica, seu moralis (hoc enim per tò practicum venit in præsentia, ne amplius repetam) est conformitas actus intellectus dirigentis volitionem, & volitionis directæ cum primâ regulâ morum: sed hoc idem est veritas practica: ergo rectitudo practica, & veritas practica sunt mutuo idem. Constat 2. speculativam rectitudinem, & speculativam veritatem toto Cælo differre à rectitudine practica, & veritate practica, & e contra. Constat 3. ex doctrinâ oppositorum, quid sit irreductio speculativa, & falsitas speculativa; quid irreductio practica, & falsitas practica. Constat 4. irreductio speculativam, & falsitatem speculativam esse mutuo idem; similiter irreductio practicam, & falsitatem practicam esse mutuo idem. Constat 5. toto etiam Cælo differre irreductio speculativam, & falsitatem speculativam ab irreductio practica, & falsitate practica, & e contra. Lege DD. citatos, nempe S. Thom. P. Moya, P. Arria, P. Vafq. P. Ovi. P. Teril. P. Ovi. & alios passim, qui late

tractant de veritate speculativâ, & practica, cum quâ coincidit doctrina M. Mercori 1. p. art. 3. pag. 7. dividit conscientiam in rectam secundum se, & in rectam quoad nos, de quâ paulò post.

Quartum est, quod licet aliqua sit inter N. T. T. contentio in assignandâ moralitatis regulâ actuum humanorum, ut videre præcipue est apud P. Ovied. 1. 2. tr. 4. contr. 4. p. 2. per totum, ubi late, & sincere refert mentem Doctorum, & proficitur multam esse de voce disensionem, omnes tamen convenire videntur in hoc, ut etiam advertit P. Moya tom. 2. qu. 9. n. 51. & tamquam certum p. Mo. supponit M. Tapia tom. 1. lib. 1. qu. 7. art. 3. ya, legem æternam Dei esse saltem primariam objectivam remotam totius moralitatis regulam, cui omnis actio creata, ut sit moraliter recta, conformari debet. Ratio est; quia, ut rectè Arist. primum in unoquoque genere est mensura cæterorum: ergo cum omnes aliæ morum regulæ fluant tamquam à fonte à lege æternâ Dei; & lex Dei æterna sit primum omnis legis, sive naturalis, sive positivæ, consequenter lex æterna Dei, seu Dei sapientia nos dirigens, & Dei voluntas nos per præcepta, aut consilia gubernans, est primaria simpliciter totius moralitatis regula; ita ut aliæ morum regulæ, quales sunt principia, tam directæ, quam reflexæ Synderesis, & prudentiæ, nec non ipsa præcepta, & leges humanæ, immò ipsa natura rationalis; hæc inquam, & aliæ morum regulæ non sint primaria regula objectiva, sed sint secundæ applicantes primam, licet sæpe etiam vocari soleant primæ regulæ objectivæ moralitatis.

Maior est difficultas in assignandâ proximâ, & formali morum regulâ, cui operatio voluntatis, seu volitio, ut sit moraliter recta, conformari debet: verum facile meo iudicio dicitur, quod ultimum rationis dictamen de convenientiâ, aut disconvenientiâ volitionis, ut hic, & nunc ponendæ, vel omitteandæ, cum primâ regulâ morum objectivâ, sit proxima, & formalis regula directiva volitionis, aut omissionis, cui dictamini ea volitio, vel nolitio, ut sit moraliter recta, debet esse conformis. Ducor non tantum, quia hoc expressè docet S. Thom. 1. 2. qu. 19. art. 5. Th. 4. & clariùs qu. 21. art. 1. ubi ait: *In his, quæ aguntur per voluntatem, regula proxima est ratio humana, regula autem suprema est lex æterna*: P. Vafq. 1. 2. d. 58. cap. 2. n. 10. P. Moya tom. 2. qu. 9. §. 8. n. 49. P. Suar. d. 7. de bonitate, & malitiâ scilicet. 1. a n. 8. P. Ovied. 1. 2. tr. 4. contr. 4. p. 2. n. 41. & 48. M. Tap. tom. 1. Catenæ Moralis lib. 1. qu. 8. art. 1. n. 4. & passim alij Probabilistæ, sed etiâ ipsi Anti-Probabilistæ.

Philal. babiliſtæ, nam Philal. *qu. 1. mihi pag. 12.* ait: M. Mer. Honestum fit per respectum ad rationem humanam; & M. Mercor. *1. p. art. 3. pag. 7.* ait: Quia autem ignoramus sæpe, an tale obiectum fit conforme legi æternæ, ideo, ut hoc discerneremus, data nobis est regula, ut toties judicemus nostram actionem esse legi æternæ conformem, quoties ipsa ratio hoc dicat; & *art. 6.* ait: Cum ignoremus, quid lex æterna Dei prohibeat, aut honestum dicat, Deus pro secundâ regulâ nobis constituit dictamen rationis, cui conformari tenemur. Ducor etiam, quia, ut dixi *notando 1.* ultimum dictamen conscientia est quasi applicatio vitalis regulæ obiectivæ, & est formalis directio ipsius volitionis adeo immediata, ut inter dictamen dirigens, & volitionem directam nullus alius actus dirigens mediet. Rursus ipsum ultimum conscientia dictamen est tale, ut implicet volitionem esse moraliter rectam, nisi tali dictamini conformetur, ut certum est etiam apud omnes Adversarios Probabilitatum: ergo ultimum conscientia dictamen est regula formalis immediata, & proxima moralitatis.

N. 23. Hinc constat, quod rectitudo moralis actuum voluntatis consistit in conformitate cum suâ primâ regulâ morum formali, & proximâ, nempe cum ultimo conscientia dictamine, à quo proximè diriguntur ipsi actus voluntatis, & in conformitate eorundem actuum voluntatis cum primâ regulâ morum obiectivâ, nempe cum lege æternâ Dei, & cum principiis directis, & reflexis Synderesis, prudentia, & fidei Divinae. Similiter constat rectitudinem moralem dictaminis conscientia consistere in conformitate cum primâ regulâ morum obiectivâ, nempe cum lege æternâ Dei, & alijs principiis. Ratio est: quia per hoc præcisè, quod actus voluntatis sint exercitè conformes affectivè recto dictamini rationis eos dirigenti, & per hoc præcisè, quod dictamen fit exercitè conforme principiis Synderesis, & prudentia directis, vel reflexis, & legi æternæ Dei, seu intellectui Divino, ut nos dirigenti, & voluntati Divinae, ut nos suis consilijs, & præceptis gubernanti, intelligitur tum conscientia, tum volitio moraliter recta; conscientia directivè, volitio affectivè: ergo veritas practica, seu rectitudo moralis intellectus nostri in dirigendo, & voluntatis nostræ in operando, stat in conformitate practica utriusque cum dictis morum principiis.

N. 25. Quantum notandum est, quod cum indubiturum ex dictis fit, ad rectè moraliter ope-

randum prærequiri conscientiam aliquam rectam; non enim voluntas potest rectè operari, nisi præcedat conscientia recta, quaeritur, quæ conscientia recta prærequiratur ad operationem moraliter rectam? Si enim dicamus prærequiri conscientiam speculativè rectam, sequitur, quod nulla conscientia speculativè falsa, poterit esse recta morum regula; cum tamen oppositum sit de fide ex definitis contra Lutherum, Calvinum, Baius, Janſenium. Si vero dicamus satis esse conscientiam practicè rectam, sequitur, quod conscientia speculativè falsa, seu distortis Sapientia Dei poterit esse recta regula proxima morum, quod videtur repugnare. Brevius: Vel rectitudo conscientia idem est, ac veritas conscientia; tunc autem sola conscientia vera erit recta, & erit recta regula morum; vel non est idem, tunc autem conscientia falsa, & opposita Sapientia Dei poterit esse recta, & recta regula morum: primum autem est hæreticum; secundum est repugnans. Hoc in scopulo naufragium passus est Janſenius, Baius, Calvinus, Lutherus: illi, quatenus docent non tantum, quod ad honestè operandum præquiratur semper veritas, seu iudicium verum de honestate actionis, sed etiam quod ad sine peccato operandum præquiratur iudicium verum de non malitiâ actionis: nam Lutherus, Calvinus, Baius, Janſenius cum aliquo inter se discrimine volunt, nullam ignorantiam juris, quod quis scire tenetur, excusare à peccato; & multò magis volunt, quod nulla ignorantia de honestate actionis satis sit ad honestè operandum. Ratio eorum est: quia nulla ignorantia libera excusat à peccato: omnis ignorantia, quam patimur, quia est consequens ad peccatum originale, ut poena illius, est libera: ergo nulla ignorantia excusat à peccato: ergo sola veritas excusat à peccato. Ex hoc fundamento, omisſis erroribus Lutheri, Calvini, Baii, duas Janſenius intulit hæreses. Prima, N. *Aliqua Dei præcepta hominibus iustis volentibus, & conantibus, secundum præſentes, quas Janſen. habent, vires, sunt observatu impossibilia; & deest illis gratia, quâ possibilia fiant.* Secunda, *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas à necessitate, (id est, indifferentia) sed satis est libertas à coactione.* Vtraque autem hæresis ex dato fundamento ita deducitur: Homini hic, & nunc invincibiliter ignoranti præceptum, præſertim naturale, impossibile est ejus præcepti observatio: sed talis homo hic, & nunc invincibiliter ignorat tale præceptum: ergo impossibile est, ut observet: ergo necessario

non

non observat, & non observando peccat non potens observare: ergo aliquod præceptum homini volenti, & conanti observare, est observatum impossibile. Rursus, homo peccabit, & demeretur ignorans invincibiliter præceptum, & non habens libertatem indifferentiæ ad illud observandum: ergo ad merendū, & demerendum non requiritur libertas indifferentiæ. Lege P. de Champs lib. 1. de ignorantia invincibili, P. Teril. qu. 16. P. Ripal. tom. 3. P. Thyri. tom. 4. Theol. Schol. N. Simili naufragio absorptus est Celladei, 28. licet enim doceat ignorantiam malitiæ, & prohibitionis verè invincibilem excusare à peccato, nam lib. 2. qu. 10. §. 3. pag. 95. ait: *juxta omnes Orthodoxos omnis ignorantia invincibilis excusat à peccato, & illam habens operatur, quin peccet*; quia tamen simul docet omnem ignorantiam sequi ad peccatum personale ut penam illius, consequenter, nisi velit admittere contradictoria, vult nullam ignorantiam esse invincibilem: ergo juxta Celladei nulla ignorantia de facto excusat à peccato. Consequentia probatur: Sola invincibilis excusat: sed per Celladei nulla datur invincibilis; ergo nulla datur ignorantia excusans à peccato. Hinc sæpe deducit solam conscientiam coram Deo veram de honestate actionis esse rectam ad honestè operandum regulam; ita lib. 2. qu. 13. fusè probat, quòd sola doctrina vera sit sana, adeoque solam veram esse regulam conscientiæ; & lib. 2. qu. 14. initio, quod non tantum probabilioritas, quin immò nec certitudo ipsa excusat à peccato, si sit falsa; in quo (præter contradictionem, quòd certitudo veritatis conjungi possit cum falsitate) ait pag. 105. quòd doctrina, quæ ex duplici contradictoria excusat à peccato, hoc non facit propter probabilitatem, vel probabilioritatem, aut certitudinem, sed propter involuntarium ignorantiam, vel erroris. Idem docuerat lib. 1. qu. 1. §. 4. pag. 3. ait enim: Indubiatum videtur omnem docentem doctrinas falsas, etsi probabiliores, non Dei, sed hominum docere doctrinas; ex quo inferri probabilius non esse regulam morum; & paulò post addit: *Sed nec certum pro regulâ placere potuit, nisi sit verum*, adeoque solam doctrinam veram esse rectam morum regulam; doctrinam autem falsam ad tumum excusare à peccato. Ibidem etiam de se fatetur, quod cum totum opus absolvisset dirigens omnia per magis probabile, tandem agnovit solam veritatem posse esse regulam morum, & solas doctrinas veras de Cælo esse, & eas solas ad Cælum ducere; idem tradit lib. 1. qu. 1. §. 5. pag. 4. ubi postquam §. 4. dixerat vetulas ipsas Cælum rapere non

opinione, sed veritate, (quod mirabile est) quero enim à quo vetulæ veritatem habebant, an ex propria sapientia, & sic ad vetulas tamquam ad veritatis Sybillas, relictis Ecclesiæ Doctoribus, accedemus; an ex alienâ auctoritate, nam vult idiotas stare debere auctoritati, & nil prudentius, quàm ita se gerere; ita lib. 2. qu. 8. §. 5. pag. 90. *Vir gravis, & fide dignus tibi aliquid refert, nihil prudentius*; hæc autem auctoritas sæpe est falsa; idem, inquam, lib. 1. qu. 1. §. 5. pag. 4. hæc tradit: *Pluris nobis est conclusio probabilis vera, quàm conclusio probabilior, aut apparenter etiam certa, sed falsa*; & in Prologo secunda partis versu Constituto, ait: *Constituto igitur priori parte non probabilitatem veritatis inanem, & vancuam, sed veram, & solam veritatem directam (N3) esse totius vite Christiana regulam*. Ex quibus manifestum est solam opinionem coram Deo veram esse juxta Cellad. rectam honestæ operationis regulam, nullam autem nec probabilem, nec probabiliorē, nec certam esse talem regulam, si coram Deo sit falsa.

Quare Celladei concordat cum Janfenio, N. & Baio in hoc; 1. quòd error positivus de honestate objecti, etsi sit invincibilis, non sit satis ad honestè, & meritorie operandum, ut patet ex locis citatis: 2. quòd nulla ignorantia prohibitionis, aut malitiæ, si sit consequens ad peccatum, (originale, ait Janfenius, personale, ait Cellad. locis infra dandis) excuset à peccato, quia nulla talis est invincibilis: 3. quòd sola veritas sit regula simpliciter necessaria ad hoc ut opus sit moraliter rectum.

Sextum notandum est ignorantiam dividi N. in negativam, quæ absolute dicitur ignorantia, & non est, nisi pura carentia notitiæ; & positivam, quæ dici solet error, & non est nisi ipse actus falsus. Utraque subdividitur N. in vincibilem, & in invincibilem, quæ subdivisio magis attendenda est secundum considerationem moralem, seu secundum obligationem vincendi dictam ignorantiam, quàm secundum considerationem physicā, seu secundum potentiam physicam vincendi illam; quia Theologia magis considerat in nostris actibus, quid homo debeat, quàm quid physicè possit. Sicut ergo ignorantia (idem dic proportionaliter de errore) physicè vincibilis est, cujus vincendæ datur potentia physica, & ignorantia physicè invincibilis est, cujus vincendæ non datur potentia physica; ita ignorantia moraliter vincibilis est, cujus vincendæ datur potentia moralis; & ignorantia moraliter invincibilis est, cujus vincendæ non datur potentia mora-

moralis. Quia autem libertas, ut dicitur in *tr. de Act. humanis*, constituitur in ratione potentiae moralis, praeter alia ad eam, quatenus libertas est, necessaria, per cognitionem obligationis, hinc est, quod ignorantia, cujus vincenda nulla hic, & nunc cognoscitur obligatio, dicitur moraliter invincibilis; ignorantia autem, cujus vincenda advertitur hic, & nunc obligatio, dicitur moraliter vincibilis; vel, ut alij loquuntur, ignorantia, quam homo tenetur vincere, (ut autem tenetur, debet praecognoscere obligationem vincendi illam) dicitur vincibilis moraliter; ignorantia, quam homo non tenetur vincere, sive quia non cognoscit obligationem vincendi illam, sive quia cognoscit eam obligationem non dari, dicitur invincibilis moraliter. Certissimum autem juxta omnes est legem non obligare, nisi moraliter, seu per cognitionem existat in intellectu, nec satis esse, ut extra illum existat; quare, si lex obligans expellere ignorantiam non cognoscatur, etsi ea lex a parte rei daretur, adhuc ignorantia erit moraliter invincibilis, ut infra.

Interim audiat S. Thom. qui in 2. *Sent. dist. 39. qu. 3. art. 3. ad 6. ait: Quando conscientia dicitur alicui, quod bonum est facere aliquod opus consilij, si non facit, non peccat, quia non apprehenditur illud ut bonum debitum, & praeceptum subjacens: & de Veritate qu. 17. de Contic. art. 3. ad 1. ait: Conscientia non ligat, nisi ex virtute ejus, quod in conscientia habetur: ergo ex S. Th. cui omnes subficientur, numquam peccatur, nisi apprehendatur debitum non faciendi, & conscientia non ligat, nisi obligatio ipsi conscientiae nota sit: ergo si debitum expellendi ignorantiam, vel errorem non sit notum conscientiae, conscientia numquam peccabit peccato ignorantiae opposito virtuti studiositatis, adeoque ea ignorantia erit invincibilis, omnis enim moraliter vincibilis semper est peccatum omissionis contra virtutem studiositatis obligantem ad diligentiam adhibendam, ut sciantur ea, quorum sciendi cognosco obligationem. Hinc legitur apud plures T. T. quod ignorantia invincibilis vocari etiam soleat antecedens; vincibilis autem vocari solet consequens voluntatem.*

P. Vasq. Lege P. Vasq. 1. 2. d. 117. P. Sanch. lib. 1.
P. Sanch. Sum. cap. 16. P. Suar. 1. 2. d. 4. P. Ovied. 1. 2.
P. Ovied. tr. 6. contr. 6. Herinx tom. 2. d. 1. qu. 5. M. Mer-
Herinx. cor. 1. p. Basis art. 4. pag. 10. & alios, qui plu-
M. Mer. res ignorantiae vincibilis moraliter, seu culpabilis, species edisserunt.

N. Modò quadruplicem in sequentibus dis-
33. cutiam quaestionem; unam de nomine, tres de re. Prima est, an ignorantia, & error sequentes, ut poena, ad originale, vel perso-

nale, dicendū sint ignorantia, & error vincibilis, an invincibilis? Celladei ignorantiam sequentem ad originale vocat invincibilem, sequentem ad personale vocat vincibilem. Hec autem quaestio est de voce. Secunda est, an ignorantia, & error excusent à peccato? Tertia, an error de praecepto, aut honestate objecti, vel actionis satis sit ad honeste, & meritorie operandum? Quarta est, an conscientia erronea esse possit moraliter recta, seu regula morum? Jansenismus non stat, qualiter ignorantia sequens vocanda, sed quae sequens excuset.

§. II.

An error, & ignorantia sequentia ad peccatum originale, aut personale, dicenda sint moraliter vincibilia, an invincibilia?

SUMMARIUM.

Omnis error, & ignorantia sequens, tam ad originale, si hic, & nunc vinci non debeat, aut possit, dicenda est invincibilis hic, & nunc, 34. Lis de voce à communi loquendi modo dirimitur, ibid.

Invincibilis ignorantia ex S. Thom. quid? n. 36. Doctores exponentes ignorantiam invincibilem utuntur tempore praesenti, n. 37. To potest vinci stat moraliter, seu debet vinci, n. 38.

Prima conclusio: Omnis ignorantia, aut error sequens, ut effectus praevius ad originale, aut personale, etsi dici possint vincibiles, & liberi in causa, nempe in peccato, cujus sunt effectus, si tamen deinde eorum expellendorum nulla hic, & nunc advertatur obligatio, vel si advertatur, non possint secundum praesentes, quas talis homo ignorans, & erras habet, vires expelli, dicenda sunt ignorantia, & error moraliter invincibilia.

Prima pars patet: quia ille effectus dicitur voluntarius, liber, & vincibilis in causa, cujus causa est libera: ergo cum nunc peccatum originale, quam personale sint libera in causa, ignorantia, & error sequentia ad illa, ut poena, & ut effectus peccati, dicenda erunt vincibilia, & libera in causa, originale in Adā, personale in persona.

Secunda pars probatur: quia sola autoritas, & communis peritorum loquendi modus quaestionem de sensu vocum controversam dirimit, quapropter audiendi sunt T. T. S. Th. Th. 1. 2. qu. 76. art. 2. ait: Ignorantia eorum, qua quis scire non potest, invincibilis dicitur, quia studio superari non potest, & propter hoc talis ignorantia, cum non sit voluntaria, eo quod non est in nostra potestate eam repellere, non est peccatum. Ecco in his verbis declaratur, quid sit

igno-

ignorantia invincibilis, nempe, quæ superari non potest, & quam repellere non est in nostra potestate; ubi nota *to est* 3. quavis ergo olim fuerit in nostra potestate eam repellere, si tamen nunc non sit, dicitur nunc invincibilis: similiter nota *to in nostra potestate*, intellige *moraliter* juxta dicta §. *antecedenti* ex S. Thom. de Veritate qu. 17. de Conic. art. 3. quod conscientia non ligat, nisi per conscientiam notificetur obligatio: ergo ut sit in nostra potestate repellere ignorantiam, debet notificari conscientie obligatio eam repellendi. Rursus nota rationem, cur talis ignorantia invincibilis non sit peccatum, nempe, (ait S. Thom.) quia non est voluntaria. Sanctum Thomam sequuntur omnes Thomistæ, sive Theologi, sive Summistæ videndi apud P. Moyam tom. 2. qu. 5. n. 29. & omnes Scotistæ, & omnes alij, quorum plurimos infra dabo; modo hi sufficiant. Adrianus in 4. qu. 5. de Confessione dub. 6. & 7. (quem summè laudat P. Eliaz. 2. p. lib. 6. qu. 20. §. 3. ad finem, pag. 339.) ait: Ignorantia Juris Divini excusat solam quamdiu manet invincibilis, non manet autem invincibilis, quando adest, à quo posset discere veritatem, si vellet; & dub. 7. l. c. hæc habet: Ignorantia solam est homini invincibilis, quando facit (non dicit, fecit) quod in se est a quâ Deum & homines, ut mereatur veritatem edoceri, volens efficaciter amplecti, in quamcumque partem Dei præceptum declinaverit. P. Sanch. lib. 2. de Matr. d. 41. n. 46. ait: Ignorantia invincibilis est, quæ, sufficienti adhibita diligentia, vinci non potest: P. Suar. tom. 5. in 3. p. d. 40. sect. 5. n. 13. quæ non potest depelli: P. Oviedo 1. 2. tr. 6. contr. 6. p. 1. n. 7. quam nullo modo potest voluntas depellere; idem ait P. Ripal. tom. 3. de Ente d. 10. P. Koninck d. 13. de Censuris dub. 11 n. 93. Herinx tom. 2. d. 1. qu. 5. n. 29. ait: Invincibilis est, quæ, adhibita morali diligentia, non potest depelli: Duardus in caput, Omnis utriusque sexus, §. 1. d. 3. sect. 3. ait: Conscientia erronea vincibilis est, quæ sic imprudenter judicat, ut, si debita diligentia adhiberetur, non erraret; invincibilis autem, & inculpabilis est, quæ ita errat, ut prudenter judicet non errare: M. Joan. Mart. de Prado in quæst. præcipuis Theologiæ Moralis cap. 2. de Peccatis qu. 12. §. 2. n. 5. ait: Ignorantia invincibilis est, quæ studio superari non potest; & subdit, quod S. Thomam sequantur omnes Thomistæ, & ex exteris Duran. Marfil. Gabriel, & in hac definitione ferè omnes conveniunt. M. Tap. nire. M. Tapia tom. 1. lib. 3. qu. 9. art. 1. n. 2. ait: Invincibilis est, quæ vel simpliciter, vel

Tom. I.

saltem moraliter vinci, & superari non potest; vincibilis, quæ vinci, & superari moraliter potest; immo n. 3. advertit cum S. Thom. 1. S. Th. 2. qu. 76. quod ego jam adverti, quod omnis ignorantia, quæ facile vinci potest, si non teneor eam vincere, dicitur in esse moris invincibilis; quapropter ea tantum dicitur in esse moris vincibilis, quam teneor vincere. P. Eliaz. 2. p. lib. 5. qu. 3. §. 1. pag. 111. ait: Ignorantiam vincibilem esse privationem scientiæ debita haberi; si autem queratur, cur dicat privationem scientiæ, non autem cujusque cognitionis, est, (ait) quia in non advertente, & in non considerante, in eo etiam, qui obliviscitur, datur privatio debite cognitionis, non tamen ignorantia: porro traditam ignorantiam definitionem esse ignorantiam vincibilis, patet ex §. Hinc, ubi ait pag. 12. Data ergo ignorantia definitio est ignorantia vincibilis. S. Antonin. citatus à P. Thyrsio diss. 11. n. 15. & Adrianus dicit: Ignorantia legis, de cujus existentia disputatur inter DD. non est ignorantia ejus, quod quis scire tenetur; id est, non est ignorantia vincibilis, sed invincibilis: idem sentiunt P. Salas, P. Vasqu. P. Teril. P. Moya, & alij, quos legi, uno excepto P. Castro Palao, qui p. tom. 1. tr. 2. d. 1. pun. 15. num. 2. utitur præterito dicens: Invincibilis dicitur, quia nullo modo illam superare potuisti; revera tamen non dissentit ab alijs, nam num. 5. vult ad ignorantiam vincibilem non satis esse, ut ex statu, & officio obligatus quis sit, nisi aliqua cogitatio adsit de tali obligatione.

Quapropter attendendum est *to non potest*, quo plerique utuntur, & intelligendum est, non potest moraliter, ut dixi notando 6. §. *antecedenti*; id est, non debet: similiter advertendum est *to non potest*, quod est tempus præsens, & significat, quod, licet ea ignorantia olim vinci potuerit, si tamen nunc vinci non potest, nunc est invincibilis: sed ignorantia, cujus expellenda nulla nunc cognoscitur obligatio, aut si cognoscitur, attamen secundum præsentem, quas habet vires, vinci non potest, est ignorantia, quæ nunc vinci non potest: ergo ignorantia, & error sequentia ad originale, & personale, quæ nunc vinci non potest, dicenda est invincibilis.

Confirmo 1. Ignorantia, quæ nunc vinci potest, & olim vinci non potuit, nunc est vincibilis, olim fuit invincibilis: ergo, vice versa, ignorantia, quæ olim vinci potuit, nunc autem non potest, fuit olim vincibilis, nunc est invincibilis. Quapropter, si quoad loquendi modum comparetur Celladei

M ij

cum

cum Janfenio, melius locutus fuit Janfenius vocans ignorantiam, quæ fequitur ad originale, & quæ nunc invincibiliter laboramus, *invincibilem*; Celladei autem ignorantiam, quæ fequitur ad personale prateritum, quæ nunc invincibiliter laboramus, vocat *vincibilem*, cum abfolutè dicenda fit invincibilis, fi nunc vinci non poffit. Ratio eft; quia quòd una fequatur ad originale, alia ad personale, non mutat ftatum ignorantia, aliàs dicam eundem mutari, mutato uno personali in aliud; quod enim mutat ftatum ignorantia eft potentia, aut impotentia moralis eam vincendi: quare omnis ignorantia, cujus expellendæ nulla datur obligatio, vel fi datur, non cognofcitur, vel fi cognofcitur, attamen nunc accipi non poteft, (eo autem ipfo, quòd non cognofcitur, vel fi cognofcitur, deponi non poteft, non datur obligatio eam vincendi, cum non detur obligatio ad impoffibile, & ad ignotum) omnis, inquam, talis ignorantia, cujus expellendæ nulla datur moraliter, feu nulla hic, & nunc advertitur obligatio, eft ignorantia invincibilis; omnis autem, cujus expellendæ cognofcitur obligatio, & expelli poteft, & non expellitur, dicenda eft vincibilis.

N. Confirmit 2. querendo à Celladei, an
40. aliqua ignorantia fequens ad personale fit
Cellad. vincibilis, an omnis fequens ad personale fit invincibilis? Si dicat aliquam eife invincibilem, habeo intentum: fi autem dicat omnem fequentem ad personale eife vincibilem: ergo dicit contradictionem, nam lib. 1. qu. 13. ad finem pag. 51. ait, doctrinam ex aliqua ordinaria ignorantia putam probabiliorē, aut veram, eife tutam, fi autem eft tuta, utique quia eft ex ignorantia invincibili: & lib. 2. qu. 18. ad finem ait, Indoctos inventa auctoritate ei fidere poffe, nec ulterius procedere debere; poteft autem aliquis idiota poffe personale fidere auctoritati, eique apparere ex errore, & ignorantia invincibili fufficiens ad non peccandum: ergo non omnis ignorantia fequens ad personale eft vincibilis, nec omnis eft invincibilis; immò 2. p. lib. 5. qu. 3. §. 1. pag. 12. abfolutè afferit: Poteft eadem ignorantia eife antecedens, & confequens quoad diverfos actus voluntatis, & ignorantia inducta per unum actum eife caufa alterius: ergo falium, quòd omnis fequens ad personale fit vincibilis; fed aliqua eft vincibilis, aliqua invincibilis.

§. III.

Quæ ignorantia, & error excufant à peccato?

SUMMARIUM.

Omnis ignorantia, & error, juris, aut facti, fi nunc non advertatur obligatio, excufat à peccato actum fequentem. DD. n. 41.

Ignorantia juris, & facti quid? n. 42.

Hæretici ubique fonant S. Auguftinum, n. 43.

Acute D. Auguft. exponit, quomodo pena, & effectus peccati funt improprie peccatum, ibid.

Nefciens non peccat, ex S. Aug. ibid.

De eſſentiâ peccati juxta S. Thom. eſt libertas à coactione, & neceſſitate, n. 45.

Ignorantia nunc vincibilis fieri poteſt invincibilis, n. 46.

Ingentia abſurda ex oppoſitâ ſententiâ, n. 48. ad 68.

Dei mandata erunt obſervatu impoſſibilia, nec erit in noſtrâ manu vias malas facere bonas, n. 49.

Alie ab Urb. VIII. Innoc. X. Alex. VII. & VIII. damnata, n. 50.

Libertas peccati ſupponit cognitionem peccati, 51. Deus nequit jubere impoſſibile, n. 53.

Ex æquivalentibus, fi una affirmatur, & alia; fi negatur, & alia, n. 54.

Janſenius, vel negare debet quod docet, vel affirmare quod Calvinus, ibid.

Oſtendo contra Celladei, quòd Decreta Pontificum erunt de voce, n. 55.

Oſtendo, quòd ſola veritas non fit regula, num. 56. 57.

Aſſerit, diſſicillimum eſſe probabile de ſufficienti diligentia formare judicium, & quòd taxari non poſſit menſura de quantitate diligentie, n. 59.

Caramuel eleganter exponit, quid ab idiota preſtandum, n. 60.

Quod plus requiratur ad honeſtè, quàm ad ſine peccato operandum, non probat, quòd error invincibilis non honeſtet actionem, n. 61. ad 69.

M. Soto ſenior aſſeruit licere minus probabilem; Celladei ſenior negavit, n. 68.

Celladei contradictoria, n. 69.

Secunda conclusio: Omnis ignorantia, N. vel error, five juris, quodecumque illud 41. fit, five facti, antecedens, aut confequens ad peccatū, tam originale, quàm personale, cujus expellendæ nulla hic, & nunc advertatur obligatio, excufat ſemper à peccato actionem, aut omiſſionem ad illam fequentem, ſecundum id quod ignoratur. Eſt cōtra Lutherum, Calvinum, Baium, Janſenium, & aliquos modernos Lovanienſes adherentes Janſenio, quos impugnat P. Thyrfus rom. 4. S. Aug. d. 6. ſed eſt S. Aug. S. Th. 1. 2. qu. 19. art. 6. S. Th. Mercor.

M. Mer. Mercor. 1. p. art. 4. *mibi pag. 10.* P. Ripald.
P. Ri tom. 3. d. 10. contra Baium, P. Suar. tom. 5. in
pald. 3. p. d. 4. *sect. 8. n. 18.* P. Valqui. 1. 2. d. 123.
P. Suar. cap. 2. P. Sanch. lib. 1. Sum. cap. 1. n. 7. & 8.
P. Ovic. Palanc. qu. 4. de Consc. P. Ovic. l. c. P. Moya
Palanc. l. c. & omnium, quos dedi §. *antecedenti*, P.
P. Moy. Card. tom. 3. d. 56. n. 272. P. Teril. P. de
P. Teril. Champs, C. Aguirre tom. 3. in S. Anselm.
P. de ferè per totum, P. Martinoni in suo Anti-
Chap. Janenio d. 16. *sect. 2.* ubi ostendit Janenium
C. Agui bibisse suam doctrinam à Luthero, cujus
P. Mar verba trahit, & à Zanchio Lutheri, & Cal-
monti vini discipulo, cujus Calvinus, & Zanchij
verba refert, quod idem præstiterat P. Ripal.
& nunc P. Thyrsus tom. 4. d. 6. n. 9. licet quo-
ad ignorantiam sequentem ad personale vi-
deatur aliquantulum sentire cum P. Elizal.
P. Eliz. Herinx tom. 2. d. 4. n. 14. qui ait, esse certum
Herin. Caram. apud omnes, Caram. tom. 4. Theol. Mor.
Fund. in 9. *proemiali n. 17.* trahens verba
Lutheri, & Calvinus; immo ait, nostram con-
clusionem esse adeo certam, ut fuerit olim à
Catholicis opposita Manichæorum doctrina

S. Aug. impugnat, adeo ut S. August. lib. de duabus
P. Card. animabus dixerit cap. 11. quod nostra do-
ctrina à pastoribus cantaretur in montibus, à
Poetis in theatris, ab indoctis in circulis, à do-
ctis in bibliothecis, à Magistris in Scholis, à Pō-
tificibus in Templis, & à genere humano in Orbe
terrarum.

N. Dixi 1. Omnis ignorantia, sive negativa,
42. quæ absolute dicitur ignorantia, sive posi-
tiva, quæ error dicitur, cujus vincenda nulla
hic, & nunc cognoscitur obligatio, (sive de-
inde ea ignorantia secuta ad personale vocer-
Cellad. tur vincibilis, ut vult Cellad. sive verè di-
cenda sit invincibilis, ut probavi §. *elapso*, est
enim lis de nomine) dico, inquam, omnem
talem ignorantiam, quomodocumque vocer-
tur, si ejus vincendæ nulla hic, & nunc ad-
vertatur obligatio, excusare semper à peccato
actionem, aut omissionem sequentem illam igno-
rantiam.

Dixi 2. excusare secundum formalitatem
ignorantiam, ita ut, si homo à te occisus, non
sit à te cognitus, ut pater, sed ut homo, non
erit parricidium formale, sed tantum mate-
riale, licet sit homicidium formale.

Dixi 3. *juris, aut facti*; duplex enim est:
ignorantia juris est ignorantia legis, seu præ-
cepti; ignorantia facti est, cum ignoro, an
tale opus comprehendatur sub lege, aut præ-
cepto non ignorato; subdit autem P. Eliz. 2.
P. Eliz. p. lib. 5. qu. 3. §. 1. pag. 12. quod quia lex, & jus
sunt universalium, facta autem particularia,
& in singulari, antiqui T. T. ignorantiam
juris vocabant universalem; facti autem par-
ticularem.

Tom. I.

Dixi 4. *juris, quodcumque illud sit*, nempe,
sive naturalis, sive Divini, sive positivi hu-
mani, excusare à peccato; nam Baius docet Baius.
hoc esse discrimen inter ignorantiam juris
naturalis, & ignorantiam cæterorum ju-
rium, quod ignorantia juris naturalis, etiam
possit esse invincibilis, non excusat à culpâ
opus, quod est contra legem naturalem: in
idem recidit Janenius. Quod autem dari
possit ignorantia invincibilis juris naturalis,
est frequentissima T. T. sententia, quia licet
plura spectantia ad jus naturale sint imme-
diatè nota, plura tamen sunt, quæ à primis
naturalibus principiis longè distant, immo,
quæ non nisi probabiliter ex illis inferun-
tur; circa hæc autem adeo distantia dari po-
test ignorantia, & error invincibilis, ut di-
cam. Lege P. Ripal. tom. 3. d. 10. n. 2.

Dixi 5. *sive facti*: ignorantia enim juris est
ignorantia circa existentiam legis; ignoran-
tia facti est ignorantia, quod tale factum sit
contra eam legem existentem, ut commu-
niter DD. licet Herinx tom. 2. d. 1. qu. 5. n.
28. aliter explicet.

Probatur 1. ex S. August. quem licet
Baius, & Janenius suæ sententiæ Patronum
asserant, immo quem Hæretici, ut ait Ca-
ram. l. c. Fundam. 3. in 7. *ratione num. 225.*
pag. mibi 92. & pag. 122. num. 335. quem,
inquam, plerique Hæretici sanctissimum, &
doctissimum vocant, & eum solum suorum
errorum Ducem agnoscunt, relictis alijs SS.
PP. immeritò tamen, nullus enim oppositæ
sententiæ Hostis Augustino infensior repe-
riri potest; nam lib. 3. de libero arbitrio cap.
19. postquam dixit, *Non tibi deputatur ad*
culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis
querere quod ignoras; ista proprio tua peccata
sunt; quæ verba repetit lib. de Naturâ, &
Gratiâ cap. 67. & lib. 1. Retract. cap. 9. hæc
immediatè subdit l. c. de lib. arbitr. cap. 19.
Nam illud quod ignorans quisque non recte fa-
cit, & quod recte volens facere non potest, ideo
dicuntur peccata, quia de peccato illo libere vo-
luntatis (intellige Adami) originem ducunt:
nam sicut linguam dicimus non solum membrum,
quod movemus in ore, dum loquimur, sed etiam
illud, quod hujus membri motum consequitur, id
est, formam, tenoremque membrorum, secun-
dum quem motum dicitur alia lingua Græca,
alia Latina; sic non solum peccatum illud dici-
mus, quod proprie vocatur peccatum, liberâ
enim voluntate, & à scientie committitur, sed
etiam, quod jam de hujus supplicio consequatur,
neceffe est. Hæc verba benè penetrata mani-
festant doctrinam Catholicam, & enervant
omnem objectionem, quam ex S. August. Baius,
malè intellecto in nos armant Baius, Janse-
nius

Mij

nus

nus. Primò enim declarant nullum proprie esse peccatum, si à non sciente committatur, & de peccati proprie sumpti essentia esse, ut à sciente esse peccatum, committatur. Secundò declarant, quo sensu actiones aliquæ in se malæ à non sciente, seu ab ignorante esse malas commissæ, dicantur peccatum, nempe *improprie*; & specioso explicatur exemplo, scilicet linguæ, nam sicut sermo Græcus, aut Latinus dicuntur lingua, non proprie, hæc enim est solum membrum oris, sed improprie, quatenus sermo ille est effectus linguæ; ita ignorantia immisæ in peccatum peccati dicitur improprie peccatum, quatenus est effectus peccati, & omnes actiones malæ commissæ cum ignorantia malitiæ dicuntur improprie peccatum, non solum quia sunt effectus ignorantie immisæ in peccatum peccati, sed etiam quia habent oppositionem materiale cum lege ignorata. Tertiò declarant ignorantiam *invitam*, seu involuntariam tollere ab actione rationem culpæ imputabilis. Quartò declarant germanam objectionum solutionem infra exhibendam. Omitto alia S. Aug. loca rectè expensâ à P. Ripal. d. 10. & P. de Champs.

P. Rip.
P. de
Cham.

N.

44.
S. Chry-
sost.

Accedit S. Chrysostomus Homil. 15. ad Rom. Nemo unquam ignoranter peccavit, vides quomodo innumera sequerentur absurda, nisi dicta competenti religione legeremus? Si enim ignoranter peccaverunt, indigni utique erant, qui penas darent. Et Hom. 44. in Matth. um ait: Nec potest eis esse excusatio condemnationis ignorantia veritatis, quibus fuit inveniendi facultas, si fuisset querendi voluntas: ergo ex opposito ignorantia veritatis hic, & nunc non assequibilis est excusatio condemnationis. Et serm. 12. de Concupisc. ait: Si ignores quæ sciri nequeunt, aut cognosci, culpâ vacabis, non verò, si te cognitu facilitas lateant, extrema supplicia feres. In quibus verbis declaratur, tum quid sit ignorantia invincibilis, & quod illa excuset à culpâ; tum quid sit vincibilis, & quod hæc non excuset.

N.

47.
S. Th.

Idem tradit Angel. Doctor pluribus in locis, præcipuè in 2. Sentent. dist. 22. art. 5. in corp. ubi ait: Libertas à coactione, ac necessitate per se, & semper liberum arbitrium committatur, ut in litterâ dicitur, quod in omnibus invenitur, sine quâ peccatum imputari non posset. Quid clarius contra Jansenium? ut notatum etiam reperi in Emin. Aguir. tom. 3. in S. Anselm. d. 104. n. 27. & 1. 2. qu. 76. art. 2. ait: Non imputatur homini ad negligentiam, (intellige culpabilem, seu vincibilem, idem enim sunt) si nesciat, quæ scire non potest, unde horum ignorantia, invincibilis dicitur, quia studio superari non potest, & propter hoc talis igno-

C. Aguir.

S. Th.

rantia, cum non sit voluntaria, èd quod non est in potestate nostrâ repellere eam, non est peccatum. Et quodlib. 8. art. 15. hæc habet: Error conscientia quandoque habet vim absolvendi, seu excusandi, quando scilicet procedit ex ignorantia ejus, quod quis scire non potest, vel scire non tenetur quando verò error non habet vim absolvendi, est, quando scilicet ipse error peccatum est, ut cum procedit ex ignorantia ejus, quod quis scire tenetur, & potest. Quo nil clarius, brevius, & mirabilius ad intentum: ecce enim per S. Thom. nescire, quod sciri non potest, non est peccatum; & ignorantia eorum, quæ quis scire non potest, est invincibilis, & ideo vocatur invincibilis, quia studio superari non potest: ratio autem cur ea ignorantia non sit peccatum, ex S. Thom. cit; quia non est voluntaria, nec in manu nostrâ est eam repellere; hoc autem dicit de omni ignorantia, sive hæc sequatur ad originale, sive ad personale, nempe, quod si hic, & nunc non sit in manu nostrâ eam repellere, nunc non est peccatum, esto olim potuerit esse voluntaria. Si autem talis ignorantia non est peccatum, multò minus actio, aut omisso substat illi ignorantie erit peccatum, cum etiam juxta Adversarios omnis ea actio, vel omisso ideo dicatur peccatum, quia est libera in causa peccaminosa, nempe in ignorantia: sed ignorantia, quam repellere non est nunc in nostrâ potestate, nunc non est libera, nec nunc est peccatum: ergo neque actio eam sequens potest nunc esse peccatum.

Ex his constat 1. omne, quod sequitur ad *invitam* ignorantiam, non esse peccatum ratione sui imputabile; ita S. August. S. Chrys. S. Thom. 2. quod peccatum, si quod est, ad summum est in non indagatione veritatis facile invenibilis, quâ deinde ignorantia est culpabili, & vincibili admixta, si postea ejus expellende nulla detur advertentia, ita ut nunc non sit amplius in nostrâ potestate eam expellere, actio ad eam ignorantiam sequens, immò nec ipsa ignorantia erit hic, & nunc peccatum: 3. constat ignorantiam nunc vincibilem, voluntariam, & culpabilem, posse successu temporis fieri invincibilem, involuntariam, inculpabilem. Hanc ipsam doctrinam insinuavit etiam Christus D. Jo-
ann. 15. qui loquens de Judæis dixit, quod non peccassent, si non fuisset eis locutus; id est, quod Judæi non peccassent, si non advertissent ad obligationem audiendi Christum D. peccassent quidem peccato negligentie, si cognoscentes debitum audiendi, cum non audissent; supposito tamen deinde ignorantie peccato in non audiendo Christi-
tum

N.

46.

S. Th.

S. Aug.

Joan. 15

stum D. non peccassent peccato infidelitatis, si in eum non credidissent. Porro neque S. August. neque S. Thom. loquuntur de ignorantia antecedenti ad originale, aut personale, sed de omni, siue sit antecedens, siue consequens, & dicunt, quod quando vitari non potest, excuset à peccato: & ideo acutè duplicem distinguunt ignorantiam, unam, quæ propter negligentiam culpabilem inquirendi veritatem, est peccatum, aliam, quæ tantum est poena peccati, expressè dicitur, solam ignorantiam eorum, quæ quis scire non vult, esse peccatum; intellige negligentiam, contra obligationem cognitam inquirendi veritatem; ea autem ignorantia supposita, excusari à peccato *denuo imputabili* omnes, qui obligationem ignorantiam non impler: ergo nulla operatio sequens ad ignorantiam etiam eorum, quæ quis scire tenetur, immo sequens ad ignorantiam *olim* voluntariam, vincibilem, & culpabilem, si ea hic, & nunc expelli moraliter non potest, quatenus non advertitur obligatio eam expellendi, nulla, inquam, operatio sequens ad talem ignorantiam est peccatum ratione sui formaliter imputabile.

Secundo probatur: Si omnimoda malitiæ, aut prohibitionis ignorantia, (quam deinceps vocabo, ut est, invincibilem moraliter) siue antecedens, siue consequens ad originale, aut personale, ut poena eorum; immo si talis ignorantia, etsi ea fuerit peccatum negligentie contra obligationem indagandi veritatem, seu peccatum contra virtutem studiositatis, non excusaret à peccato, sequeretur 1. quod aliqua Dei præcepta hic, & nunc obligantia essent observari impossibilia, & quod homo posset peccare, seu demereri sine libertate indifferentia ad non peccandum. Sequeretur 2. quod non esset in potestate hominis hæc ignorantia laborantis vias suas malas facere bonas: sed hæc omnia sunt hereticas nam

Trident. Tridentinum contra Lutherum, & Calvinum *sest. 6. can. 6.* definivit: *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas per peccatum facere bonas, anathema sit; & sest. 6. cap. 11. ait: Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere, quod possis, & petere, quod non possis, & adiuvat, ut possis.* Et Pius V. & Greg. XIII. & Urbanus VIII. damnarunt octoginta propositiones Baij, inter quas trigesima nona erat, *Quod voluntarie sit, etiam si necessitate fiat, libere tamen sit; in quod idem incidit quadragesima prima; de quibus Baij propositionibus legi potest P. Petavius tom. 3. sue Theologia dogmatica lib. 5. circa finem, P. de Champs lib. 2. de Hæresi Janseniana cap. 4. P. Ripal. tom. 3. contra Baium d. 14. Similiter*

Vrbanus VIII. Innocentius X. Alexander VII. & VIII. damnarunt, ut hæreticas, has, & similes propositiones: *Ad merendum, & demerendum non requiritur libertas a necessitate, sufficit à coactione: Aliqua Dei præcepta hominibus iustis volentibus, & conantibus secundum præsentia, quas habent, vires, sunt observatu impossibilia, deest quoque illis gratia, quæ possibilia fiant; tametsi desit ignorantia invincibilis juris natura, hæc operantem ex ipsa, non excusat à peccato formali: ergo omnis ignorantia moraliter invincibilis, etsi consequens ad peccatum, excusat semper à peccato operationem sub eâ positam. Sequela probatur: quia implicat, ut observetur præceptum omnino ignoratum, non enim voluntas potest velle ignotum; si autem implicat observatio præcepti, eò ipso necessaria est transgressio ejusdem; si necessaria est ejus transgressio, non est in potestate hominis vias suas malas facere bonas; nec est in potestate hominis non peccare, & mereri: ergo si ignorantia non excusat à peccato, homo eam patiens, peccat, & demeretur, non habens potestatem non peccandi, & merendi. Ratio à priori est; quia constitutivum libertatis moralis ad peccatum, & non peccatum, est duplex realiter, aut æquivalenter cognitio, una retrahens obligatorie à peccato, altera alliciens obligatorie ad non peccatum, vel ad bonum præceptum: sed stante omnimoda ignorantia malitiæ, vel præcepti prohibentis, non adest cognitio retrahens à malitiâ, & prohibitione: ergo, stante tali ignorantia, non datur libertas, nec ad peccatum, nec ad non peccatum; nam libertas ad unum extremum includit necessariò potentiam ad oppositum contrariè, vel saltem contradictoriè extremum; libertas enim est similtas potentie, seu duæ simul potentie ad opposita extrema divisim: ergo nullum tunc est imputabile peccatum.*

Probatur 3. Quoties malitia non est voluntaria nec in se, nec in causa, seu in ignorantia, aut errore intellectus, toties nullum est peccatum: sed quoties alicui, siue ex recta, siue ex invincibiliter errante ratione proponitur aliquid non esse peccatum, tunc malitia non est voluntaria, neque in se, quia eam non cognoscit; neque in ignorantia, vel errore intellectus, quia cum errorem hic, & nunc vincere non potest, ut suppono: ergo toties tunc nullum est in eâ operatione peccatum.

Confirmo 1. quia si ex errore invincibili putans operationem esse rectam adhuc peccaret, Deus juberet impossibilia, quod est hæreticum. Sequela probatur: quia si ex errore

N.
50.
Innoc.
X.
Alex.
VII.
Alex.
VIII.
Jansen.

N.
51.

N.
52.

53.

errore invincibili judicans se teneri ad leve mendaciū ob vitam proximi tuendam peccaret: vel peccaret, quia veller mendacium cognitum a se ut malum; hoc autem implicat; cum enim, ut suppono, non cognoscat mendacium sub tali circumstantiā ut malum, non potest velle illud ut malum, nam voluntas non fertur in incognitum: vel peccaret, quia non rejecit a se ignorantiam, vel errorem de non malitiā mendacij; & hoc etiam implicat; quia ignorantia, & error invincibilis est, qui non potest in sensu composito, quod talis sit, vinci ab homine: ergo peccaret non utendo diligentia tunc sibi impossibili: ergo peccaret non potens non peccare, & non potens obedire Deo.

N. 54. Confirmo 2. quia ex duplici æquivalenti si affirmetur, aut negetur una, debet eodem modo affirmari, aut negari altera; alias si una ex æquivalentibus affirmaretur, & alia negaretur, idem æquivalenter affirmaretur, & negaretur, quod repugnat; nam implicat idem simul esse, & non esse: sed hæc duæ propositiones, *Non est in potestate hominis facere bonum: Præcepta Dei sunt homini observatu impossibilia*, sunt æquivalentes: ergo si prima negatur, quia hæretica, debet etiam secunda negari; & econtrā: sed stante ignorantia invincibili præcepti, non est in potestate hominis observare præceptum: ergo, eā stante, non est in potestate hominis facere bonum: ergo si Jansenius negat ut hæreticam hanc Lutheri, & Calvini propositionē, quam Tridentinum damnavit, *Non est in potestate hominis facere bonum*; debet etiam negare ut hæreticam hanc illi æquivalentem, *Præcepta Dei sunt homini conanti observatu impossibilia*. Hoc argumentum est ad hominem contra Jansenium; & simile ad hominem fieri potest contra Baium, qui vel debet consentire Lutheri, & Calvino negantibus ignorantiam invincibilem excusare à peccato.

P. Rip. to, quorum verba recitat P. Ripalda tom. 3. d. 10. n. 21. si Baius consentit suæ propositioni; vel si negat propositionem Lutheri, & Calvini, debet negare suam, cum sint æquivalentes.

N. 55. Probatur 4. contra P. Elizal. primò enim contra eum stant omnia argumenta adducta contra Baium, & Jansenium; si enim P. Elizal. dicat suam ignorantiam, quia sequitur ad personale, esse vincibilem in causā, nempe in peccato personali; dicent Baiani, & Jansenistæ suam etiam ignorantiam, quia sequitur ad originale, esse vincibilem in causā, nempe in originali; adeoque concludatur erit de doctrinā Catholicā, de definitionibus Pontificum, & Conciliorum, & tota lis inter

Catholicam, & Baianam, vel Jansenianam doctrinam reducetur ad quæstionem de nomine, an necne ignorantia sequens ad peccatū dicenda sit vincibilis, esto hic, & nunc vinci non possit? Addo, quod Jansenista, & Catholicus instabit contra P. Elizal. cur ignorantia sequens ad personale, à P. Elizal. vocetur vincibilis, & non possit vocari vincibilis ignorantia, quæ sequitur ad originale? Rursum instabunt, cur ignorantia sequens ad originale excuset à peccato, & tollat libertatem ad utrumque extremum, ut Ecclesia Catholica dehinc; econtrā sequens ad personale non excuset? Sanè, ne umbram quidem disparitatis dabit P. Elizal. si Jansenistæ conqueantur de suæ doctrinæ damnatione, sive Catholico eandem damnationem approbanti. II. directè arguo contra P. Elizal. cum enim totus sit in docendo solam veritatem esse regulam conscientie, ita lib. 2. qu. 12. initio pag. 101. & lib. 1. qu. 1. §. 4. & 5. pag. 3. & 4. ubi ait: *Indubitatum videtur omnem docentem doctrinas falsas, etsi probabiliiores, non Dei, sed hominum docere doctrinas; adeoque inferri, non tantum probabilius, sed, quod mirabile est, nec certum, esse morum regulam; ait enim, Nec certum pro regulā morum placere potuit, nisi sit verum, iterumque repetit solam veritatem esse morum regulam, solas doctrinas veras de Caloe esse, solas illas in Calum ducere posse, vetulas Calum rapere non opinione, sed veritate, & pluris est nobis (de se loquitur) conclusio probabilis vera, quam probabilior, aut etiam apparenter certa, sed falsa: cum, inquam, hæc, & alia doceat, quæ adduxi §. 1. sequitur, quod directè doceat (nisi egregie hallucinor, & utinam hallucinarer) propositiones Jansenij, & Baij; quid enim, quæso, est dicere, *Sola veritas est regula morum*, quam negare, quod ignorantia invincibilis sit regula morum? Sed ignorantia invincibilis est regula morum, nam sufficit ad meritum, & demeritum: ergo. Sequitur 2. quod si sola veritas est regula morum, quod erit impossibile, ut homo servet legem Dei; nam per P. Eliz. ut homo mereatur, & non peccet, necessarium est judicium verum de honestate objecti, & licentiā actionis: sed stante invincibili ignorantia de honestate objecti, & licentiā actionis, implicat judicium verum de honestate objecti, & actionis: ergo, eā stante, impossibile est, ut homo non peccet, & ut mereatur: ergo homo peccat, & demeretur carens potestate merendi, & non peccandi. Sequitur 3. impossibile esse homini eā ignorantia invincibili laboranti secundum præsentem, quas habet, vires, observare legem Dei, quia, stante*

N. 56. P. Eliz.

N. 57.

stante eâ ignorantia invincibili, non est in potestate illius hominis habere conscientiam veram: sed per P. Elizal. conscientia vera est necessaria ad observandam legem Dei: ergo vel falsum est, *solum* conscientiam veram esse regulam morum; vel si hoc verum est, impossibile erit homini conanti secundum præfentes, quas habet, vires, observare legem Dei, quod acatholicum est. Sequitur 4. quod ferè numquam homo poterit honestè operari, quia per P. Elizal. sola conscientia vera est regula morum: ergo cum vix sit in nostra potestate aliquando habere conscientiam veram, vix aliquando homo quantumcumque perfectus poterit honestè operari.

N. Confirmo 1. quia cum P. Elizal. ex una parte doceat, quod, ne homo peccet, habere debeat iudicium verum de non malitia ob-

P. Eliz. 219. dicat, difficillimum esse concipere iudicium, non dico certum, sed *probabile* de sufficienti diligentia; ut enim aliquis sibi persuadeat se debita usum diligentia, debet sibi coram Deo persuadere, se *legem Dei dilexisse*, nam qui non diligit, non satis querit, se mandata Dei sui quesivisse, & super senes, & te

N. 59. docentes intellexisse; immo hoc non contentus docet alijs in locis citatis à P. Moya tom. 2. qu. 5. §. 7. a n. 49. non posse taxari mensuram de quantitate diligentia necessaria; quod ipsum fusillimè docet iterum idem P. Elizal. 2. p. lib. 5. qu. 15. per totum §. *Quantum* pag. mibi 109. & denuò innuit lib. 6. qu. 7. §. 5. pag. 201. cum hæc, inquam, P. Elizal. docet, (in quod idem inclinat P. Thyrsus

P. Moya. 2. qu. 5. §. 7. a n. 49. non posse taxari mensuram de quantitate diligentia necessaria; quod ipsum fusillimè docet iterum idem P. Elizal. 2. p. lib. 5. qu. 15. per totum §. *Quantum* pag. mibi 109. & denuò innuit lib. 6. qu. 7. §. 5. pag. 201. cum hæc, inquam, P. Elizal. docet, (in quod idem inclinat P. Thyrsus

P. Thyrsus disp. 10. a n. 27. docens certitudinem sufficientis diligentia esse acquisitu difficilè) sequitur eundem P. Elizal. apertè sentire, quod, ut homo vias suas malas faciat bonas, teneatur ad quid impossibile habendum; non tantum, quia talis homo laborans ignorantia invincibili de bonitate, & licentia operationis non potest tunc concipere iudicium verum de eâ bonitate; sed etiam, quia est impossibile iudicium verum de sufficienti diligentia adhibita, eò ipso quod est impossibile scire, quæ sit, ut docet P. Elizal. sufficiens mensura diligentia adhibenda. Omitto concordare, quæ modo ex P. Elizal. adduxi, cum ejusdem dicto, *Vetule Celum rapiunt non opinione, sed veritate*; quo enim stamine veritatem vetula expiscantur, quæ viris apprimè doctis adeò difficilis est, ut nè quidem mensura sufficientis diligentia necessaria pro veritatis inquisitione cognita

sit? Certè eleganter, & verè discurrit Caram. lib. 4. Theol. Mor. Fund. qu. proamiali; N. 60. ait enim idiotas scire, esse in Cælo multos idiotas, immò plures eorum esse canonizatos: ergo supponere debent, se, si fecerint, quæ illi, esse etiam glorificandos. Sed quid fecerunt illi? An ne legerunt libros, & rationum fundamenta librarunt? Fuissent superbi, si id fecissent; superbiamque non comitatur sanctitas. Quid ergo? Jubenit aliqui, ut illiteratus eligat communiorem sententiam; alij ut communem. Sed unde scire poterit idiota, utra sit, aut non sit communis, & secuta sententia? Jubeo ego, inquit Caram. ut Confessarium eligat, quem videt passim inter doctos censeri, (nam etiam analphabeti ex fama, & communi applausu doctos ab indoctis secernunt) & ejus directioni se committat; non interrogando, quid probabilius sit, hoc enim turbabit ejus intellectum; sed quid tutà conscientia possit. Ecce si idiota Confessario se submittens, eumque ex communi applausu ab indoctis secernens, habet regulam, quâ tutè operetur; cur doctus utens mensurâ diligentia, quâ alius doctus utitur, habere non poterit tutam pro conscientia directione regulam, & severam pro quantitate diligentia mensuram?

Confirmo 2. contra eundem P. Elizal. N. 61. quæro enim, an iudicium invincibiliter falsum de non malitia excuset à peccato? Si P. Eliz.

affirmat, ut affirmat lib. 1. qu. 1. §. 4. pag. 3. ubi ait, doctrinas veras esse regulam morum, falsas autem ad summum excusare à peccato; si, inquam, affirmet, peto prius coherentiam, cur ignorantia invincibilis de non malitia actionis tollat ab eâ actione malitiam, seu excuset illam à peccato; ignorantia autem invincibilis de honestate actionis non reddat eam actionem honestam? Si enim dixerit disparitatem esse, quia plus est honestate actionem, quam tollere ab actione malitiam, ut insinuat lib. 2. qu. 10. §. 3. pag. N. 35. dicens: *Plus est juxta omnes habere probabile conscientia, quam habere aliquid, ex quo*

proveniat non peccares si, inquam, hoc dixerit, nihil dicet, ut enim ignorantia invincibilis de non peccato tollit rationem peccati, imò reddit meritum; & honestum non peccatum, eâ ratione, quâ omisso peccati esse potest honesta, & meritoria; ita ignorantia, seu error invincibilis de honestate poterit eam actionem reddere honestam, & meritoriam. Deinde gratis transmittit, quod error positivus de honestate non honestet actionem, ignorantia autem invincibilis de non malitia excuset à peccato; adhuc, hoc dato, sequi-

N.
63.

sequitur evidenter, quod homo habens ignorantiam invincibilem de non malitia actionis, non possit facere vias suas *bonas*, nam ad summum poterit facere vias suas *non malas*, quatenus illa ignorantia invincibilis de malitia excusat à peccato; non autem facere poterit vias suas *bonas*; ut enim faciat *bonas*, seu actum honestum, non satis est, juxta P. Elizal. error invincibilis de honestate, sed requiritur iudicium verum de honestate: sed homo laborans ignorantia invincibili de honestate non potest tunc habere iudicium verum de honestate; id est, homo ex errore judicans talem actionem non esse malam, immò honestam, non potest habere iudicium verum, quod sit honesta; si enim est falsum non esse malam, & est falsum esse honestam, verum est esse malam, & esse inhonestam; suntque impossibilia duo iudicia, unum erroneum de honestate, alterum verum de honestate; & sicut iudicium verum, quod sit honesta, non potest stare cum iudicio vero, quod sit mala, ita iudicium verum, quod sit honesta, non potest stare cum iudicio falso, quod sit honesta. Sequela autem est contra Tridentinum docens, esse in manu hominis vias suas malas facere bonas. Demum sequitur, quod non sit in potestate hominis mereri per non peccatum; qui enim ex errore invincibili putat talem actionem non esse peccatum, ut mereatur per non peccatum, debet habere iudicium verum de non peccato, quod iudicium repugnat cum dicta ignorantia invincibili. Omitto plura; facile enim est ostendere, quod si error positivus de honestate non honestat actionem, neque error positivus de non malitia excusabit à peccato; vel si iste excusat, ille honestat. Quare quoad hoc coherentius processit Jansenius, qui non tantum negat, quod error invincibilis honestet actionem, sed etiam quod excuset à peccato; de quibus fusiùs infra.

N.
65.
P. Eliz.
P. Moy.

Confirmo 3. ex absurdis latè deductis contra P. Elizal. à P. Moya tom. 2. qu. 5. §. 6. ego unum tantum adducam: Si ignorantia consequens ad peccatum ut poena non excusaret à peccato *denudò imputabili* actionem sub eà commissam, sequitur, quod transgressio illa erit hic, & nunc imputabilis per libertatem, quæ nunc non existit, sed quæ ante plures annos extitit, ex gr. ante viginti, dum eo anno peccavi, & in cuius peccati poenam ea ignorantia immisâ fuit; atque adeo sequitur, quod nunc pecco per libertatem, quam nunc non habeo, sed habui ante 20. annos, quod est hæreticum; nam est de fide, quod eo instanti, quo homo peccat,

fit liber libertate indifferentiæ ad non peccandum; aliàs homo peccaret nunc necessario, quod repugnat; omne enim necessarium necessitate antecedenti tollit peccatum: sed ignorantia, quod talis actio sit transgressio legis, facit necessitatem antecedentem, nam se tenet ex parte potentiæ, à quâ tollit cognitionem de malitiâ talis actionis, nempe cognitionem retrahentem à peccato, & allicientem ad non peccatum: ergo omnis ignorantia consequens ad peccatum præteritum, ut poena illius, si sit hic, & nunc invincibilis, excusat à peccato actionem sequentem substantem illi ignorantie. De cætero dicam, quod amans, stante amentia, si hæc 66. permixta fuit in poenam peccati præteriti, sit liber ad peccandum nunc. Similiter si ignorantia sequens ad peccatum, ut poena, dummodo sit hic, & nunc invincibilis, non excusat à peccato, sequitur impossibile esse petere, & dare consilium; cum enim ignorantia possit esse poena peccati venialis, à quo nemo immunis, consequenter dans consilium potest rationabiliter timere, nè Deus permittat consilium falsum; & petens poterit idem timere. Rursus sequitur, quod N. omnis innocentior, & sanctior erit doctior, 67. quia minus timere potest ignorantiam; adeoque puerorum, & vetularum consilijs potius, quam Theologorum standum erit, quia pueri, & vetulæ ab omni curâ abstractæ, minora habent peccata, quam Theologi annis, & scientijs decrepiti; immò si in reteriâ joculari liceret, standum potius erit eidem Patri Elizal. juniori affirmanti licetum sequi minus probabilem, quam eidem seniori hoc neganti, quia junior minoribus peccatis subiectus fuit, quam senior; senectus enim, præter senectutis culpas, comprehendit reliquas adolescentiæ, & aliarum ætatum culpas; quis autem hoc serio dicat, quod Doctori juniori standum potius sit, quam eidem seniori? nam augmento annorum augentur venialia: ergo cum P. Elizal. junior putaverit opinionem minus probabilem posse esse morum regulam, deinde provectior docuerit solam probabiliorem esse regulam morum, tandem decrepitis dixerit solam veritatem esse morum regulam, ut de se fatetur lib. 1. §. 4. pag. 3. consequenter opinio minus probabilis erit regula morum. Prætermittere tamen nolo, ut ingenia Doctorum miremur, quam opposito modo P. Elizal. & M. Dom. de Soto processerint; nam P. Eliz. junior asseruit licere sequi minus probabilem; provectior autem hoc negavit: e contra M. Soto junior negavit licere sequi minus probabilem, lib. 3. de 7. p. 1.

N.
68.P. Eliz.
M. Sot.

Vertic. *Iust. q. 6. art. 5. ad 4. & citatur à Verricelli*
rr. 2. de Opinione prob. qu. 10. pag. 58. & à
 Caram. *in Dialecti n. 546. & tamen senior*
mutavit sententiam affirmans licere sequi
minùs probabilem, ut constat ex lib. 10. de
Iust. qu. 5. art. 3. & in 4. dist. 18. qu. 2. art. 4.

N. 69. *Confirmo 4. ex contradictorijs ipsius P.*
 Elizal. cum enim fuerit vir omnino Catho-
 licus, & verè religiosus, hinc sentit ignoran-
 tiam invincibilem excusare à peccato; cum
 autem nimio contra Probabilistas zelo rapi-
 se permiserit, hinc docuit solam veritatem
 esse regulam morum, quæ, ut dixi, sunt
 æquivalenter contradictoria; si enim sola
 veritas est regula morum, sola veritas excu-
 sat à peccato: ergo error non excusat. Imò
 audi apertiora adhuc contradictoria; nam
 lib. 2. q. 10. §. 3. *ad finem pag. 95. ait: Ponamus*
quem ex invincibili errore firmissimè persuasum
esse aliquam legem, vel obligationem non dari,
quæ re ipsa datur; tunc juxta omnes non pecca-
ret; & tamen non desineret peccare, quia sequi-
tur certum, quia illud certum juxta omnes non
esset simpliciter certum, sed solum apparens, &
fictum. Ecce contradictoria; unum est, quod
talis homo ignorans invincibiliter legem
non peccaret; aliud est, quod idem homo
non desineret peccare; sicut autem desinere
peccare, est non peccare, ita non desinere
peccare, est peccare: peccaret ergo, quia
illud certum est fictum; non peccaret, quia
ea ignorantia supponitur invincibilis; igno-
rantia autem invincibilis, ut expressè fate-
tur P. Elizal. l. c. excusat à peccato; ait enim:
juxta omnes Orthodoxos omnis ignorantia in-
vincibilis excusat à peccato, & illam habens ope-
ratur, quin peccet.

§. IV.

Responsio Patris Elizalæ.

SUMMARIUM.

Error consequens si nunc vinci non potest, nunc
excusat, n. 71.

Nil curant Concilia, quomodo ignorantia, quæ
est pœna peccati, vocanda sit vincibilis, an in-
vincibilis, sed an excusat à peccato, n. 72.

Si ignorantia sequens ad originale excusat etiam
sequens ad personale & si ea dicitur invinci-
bilis, & hæc, n. 74. ad 78.

Est ethicum axioma: Quidquid agunt homines,
intentio judicat omnes, n. 78.

N. 70. *U* Nica ad nostras insolubiles rationes
 70. *responsio potest à P. Elizal. dari, nem-*
 P. Eliz. *pe Pontifices, & Concilia unice definit-*
is, quod ignorantia invincibilis, & antece-
dens peccatum excuset à peccato: sed igno-

rancia consequens ad peccatum est vincibi-
 lis, & libera in peccato; ergo hæc non ex-
 cusat.

Sed contra 1. quia suprà evidentè osten-
 di, quod ignorantia, etsi consequens ad pec-
 catum, si hic, & nunc vinci non possit, qua-
 tenus nulla ejus hic, & nunc vincendæ oc-
 currat obligatio, eò ipso talis ignorantia sit
 hic, & nunc invincibilis, esto olim vinci po-
 tuerit: ergo talis ignorantia excusat hic, &
 nunc à peccato.

Contra 2. quia intentum Conciliorum, & N.
 Pontificum non est, an ignorantia, quæ est
 pœna peccati, vocanda sit vincibilis, an in-
 vincibilis; sed, an ignorantia, siue sit pœna
 peccati originalis, siue personalis, (quomo-
 documque ea vocetur, vel invincibilis, ut
 Baius, & Jansenius; vel vincibilis, ut P.
 Elizal.) excuset à peccato, quoties ea igno-
 rantia immixta in pœnam peccati præteriti
 est hic, & nunc invincibilis: cum ergo Pon-
 tifices, & Concilia contra Lutherum, Cal-
 vinum, Baium, Jansenium, definierint igno-
 rantiam sequentem ad originale (si tamen
 hic, & nunc sit antecedens respectu opera-
 tionis, ponendæ) tollere libertatem, & ex-
 cusare à peccato; hinc robustum sumimus
 fundamentum judicandi definitum etiam
 contra P. Elizal. nisi fallor, ignorantiam se-
 quentem ad personale, si tamen hic, & nunc
 antecedit actionem ponendam, tollere ab
 hac libertatem, & excusare à peccato. Quod
 ergo P. Elizal. ignorantiam sequentem ad

P. Eliz.
 Jansen.
 Baius,
 N.
 73.

personale vocet vincibilem; Jansenius au-
 tem, & Baius, & Lutherus sequentem ad
 originale vocent invincibilem, non est nisi
 vox, de quâ non curo: quod valdè curan-
 dum est, an ignorantia sequens, siue ad ori-
 ginale, siue ad personale, si ea hic, & nunc
 vinci non possit, excuset à peccato; eò autem
 ipso, quod P. Elizal. vult ignorantiam se-
 quentem ad personale, etsi hic, & nunc vin-
 ci non possit, non excusare à peccato, eò
 ipso re convenit cum Baio, etsi voce tenus
 discrepet; præsertim, cum P. Elizal. nullam
 disparitatem afferat, cur ignorantia sequens
 ad originale, si expelli non possit, excuset à
 peccato, ut docet fides; sequens autem ad
 personale, si hic, & nunc expelli non possit,
 non excuset: immò omne quod adducit, ut
 evincat ignorantiam sequentem ad persona-
 le, ut pœnam hujus, non excusare à pecca-
 to, probat etiam sequentem ut pœnam ad
 originale non excusare à peccato; & omne
 quo probat ignorantiam sequentem ut pœ-
 nam ad originale excusare, probat etiam se-
 quentem ut pœnam ad personale excusare. N.

Contra 3. quia Catholici DD. redarguunt
 Baium,

Baium, & Jansenium de inconsequentia, dum docent ignorantiam juris naturalis, quia sequitur ad originale, non excusare à peccato; ignorantiam autem juris Divini, & humani, & factorum excusare à peccato opus, ut sub eà ignorantia positum; nam vel utrobique excusat, vel in neutro casu excusat: ita de eadem redargui potest P. Elizal. quatenus docet ignorantiam, quæ est poena peccati personalis, non excusare; excusare autem, quæ est poena peccati originalis; nam vel utraque excusat, vel nulla.

N. 75. P. Eliz. Contra 4. quia quæro à P. Elizal. cur ignorantiam sequentem ad personale vocet vincibilem; sequentem ad originale vocet invincibilem; nam utraque respectu diversorum terminorum vocari potest antecedens, & consequens; invincibilis, & vincibilis; involuntaria, & libera: ignorantia enim, quod hodie non sit dies jejunij, (suppono esse) sequens ut poena ad originale, respectu peccati originalis dicitur consequens, vincibilis, libera, eà libertate, quæ nobis liberum fuit originale; eademque ignorantia, quod hodie non sit dies jejunij, sequens ut poena ad originale, respectu non jejunij hodierni dicitur antecedens, involuntaria, invincibilis: ita in casu nostro, ignorantia, quod hodie non sit dies jejunij, sequens ut poena ad originale, respectu non jejunij hodierni dicitur consequens, vincibilis, libera, libertate, quæ furtum hesternum fuit liberum; eademque ignorantia sequens ut poena ad furtum personale hesternum, respectu non jejunij hodierni dicitur antecedens, invincibilis, involuntaria. Ut ergo ignorantia, quæ est poena peccati originalis, excusat à peccato eum hodiernum, ita ignorantia, quæ est poena furti personalis hesterni, excusat à peccato eum hodiernum.

N. 76. Contra 5. quia Concilia, & Pontifices eam impossibilitatem damnaverunt, quæ admittit impotentiam hic, & nunc antecedentem ad observationem præcepti, esto sequentem ad originale; sed eandem impotentiam hic, & nunc antecedentem ad impletionem præcepti admittit P. Elizal. esto sequentem ad personale præteritum: ergo hæc etiam videtur repudianda.

N. 77. Contra 6. Do ignorantiam sequentem ad originale, aut personale, fuisse prius indirectam, & in sua causâ, nempe in peccato originali, aut personali liberam; attamen si homo eam laborans non possit hic, & nunc eam vincere, eò ipso ea ignorantia reddit observationem legis ignoratæ, non tantum consequenter, sed etiam antecedenter impossi-

bilem, nempe impotentiam antecedenti ad observationem, & non observationem legis ignoratæ; ergo tollit libertatem; ergo excusat à peccato.

Contra 7. quia teneor obedire conscientie invincibiliter erroneæ, alias nec tenebor obedire conscientie verissimæ, ut bene Heri- rinx n. 14. quandoquidē dum invincibiliter putatur vera, non potest operans de veritate dubitare, quā quando datur conscientia vera; hinc est Ethicū Protheorema, *Quidquid agunt homines, intentio judicat omnes*; id est, cognitio facit, ut homo peccet, aut non peccet: ergo si hodie caro in penam peccati hesterni cognitione proponente malitiam alicujus actionis, hodie eam exequendo non pecco. Plura infra, ubi de ignorantia vincibili contra P. Thyrsū.

P. Thyrs.

SECTIO III.

Argumentorum oppositorum solutio.

§. I.

[Afferuntur Adversariorum argumenta.]

SUMMARIUM.

Ex Abimelech: ex Christo D. dicente, quod servus faciens digna plagis, etsi non cognoscat, vapulabit: ex peccatis ignorantia plorandis: ex Synodo Palæstinâ: ex S. Aug. & S. Thom. n. 79. ad 84.

Ex eo quod ad peccatum satis, ut sit contra legem, n. 85. 86.

Ex eo quod omnis veritas moralis, & omnis lex naturalis, & Divina sit invenibilis; eam ignorantia invincibilis juris naturæ repugnet, non minus, ac Dei. DD. n. 87. ad 90.

Pono sub unicum intuitum solidiora N. contra nostram veritatem argumenta, ut 79. eorum vis, quasi in unum coacta, validior appareat: deinde ante directam eorum solutionem do indirectam, ostendendo, esse à suis Patronis solvenda: subinde afferro generalem, præcipue pro SS. Patrum explicatione, doctrinam: demum solvo ea directè. Hæc omnia compendiose, sed æquè clarè, & efficaciter tractabo.

Primum est ex Sacra Scripturâ, nam Gen. N. 20. legitur, quod Rex Abimelech in- 80. vincibiliter putans Saram esse Abraham 10. rorem, non uxorem, voluit eam in uxorem ducere; & tamen Deus Abimelecho dixit: *Custodivi te, ne peccares in me; en morieris propter mulierem, quam tulisti, habet enim virum.* Ecce igitur, quod Abimelech peccasset, si uxorem Abraham cognovisset, esto invincibiliter sibi persuasisset non esse uxorem Abraham